



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis
Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et
Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in
quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus
respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum
luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque
omnibus in utroque Foro ...

Tractatus Primi Pars I. de Servitutibus Prædialibus, Usufructu, & utroque
Retractu, Pars II. de Emphyteusi, Pars III. de Locatione & Conductione

**Luca, Giovanni Battista de
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. II. Alia Fulginaten Domus. De eadem materia abusiva investituræ in
supplantationem successoris, An dicatur talis, ubi fia ab initio pluribus
personis ad eorum tertiam generationem, cum hoc, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-74102

DE EMPHYTEUSI DISC. II.

ii

Et in eadem dec. 337. par. 11. Unde propterea, vel nulli, vel nimirum rari sunt casus, in quibus hodie in foro de Pontificis, vel alterius supremi Principis potestate, directa, & praecisa cadat quaestio, haberi solita solum super voluntate, ad cuius defecatum, pro confirmatione actus, omnes disputationes restringuntur; Ea vero, qua per scribentes, circa protestatis defecatum, non concurrente legitimata, & publica causa considerantur, deduci, ac ponderari solent. Vel ad effectum fori interni, de quo ad forenses inspicere non pertinet. Vel ad effectum, ut Principi absenti, per magistratus, & officiales, replicandum sit, abstinent ab executione, donec expeteretur secunda, & quandoque tertia iussio. Vel denum ad effectum, ea deducendi coram eodem, frequentius vero, coram sive celsiore, ut gesta revocet explicita, vel etiam implicita, non dando executionem, ex iis quae in hac materia potestatis Papae, vel alterius Principis, deducta habentur in Romana seu Salernitana sub tit. de Regal. disc. 148.

Aut vero agitur de Prælatis inferioribus, in quibus non militet dicta potestas derogandi juri testi, ac dispensandi impedimentis à juri etiam positivi dispositione resultantibus; Et tunc, triplex urget ratio potestatis defecatum suadens. Una est, voti capitandæ mortis, ex qua resultaret infectione actus, ipso jure, juxta terminos text. in l. finali Cod. de partibus concord. Et, quoad istam considerabam hodie saltem ex communis usu recte procedendum esse cum dictis terminis feudalibus, cum quibus procedit Gratian. dicta discept. 818. quoniam, quicquid esset de morib. s illorum seculorum, in quibus leges Romanorum prodiierunt, hoc votum nimiam timentes, de præsenti, usus ac experientia præbent, non adeò timendum esse, neque hoc inconveniens refutare, nam alias Pontifices, si non in ratione coactiva, saltem directiva, abstinerent à concessionibus expectativarum, sive ab admissionibus resignationum, cum reservatione frumentorum &c.

Altera est ratio præjudicii possessoris & tunc istud in sensu omnium, non est ab inferiori superabile, cum ex supra allegatis, omnes concordent, etenim hujusmodi abusivas successiones substineri, quatenus, nullum nec quidem modi cum possessoris præjudicium contineant; Adhuc tamen ad plures effectus ex una vel altera specie infectionis resultantes, considerabile est, quod iste defecus, igitur non intrinsecus, & de natura rei, sed accidentalis, ratione præjudicii, non importet omnimodam infectionem ipso jure, sed totum præservationem dicti præjudicii, & quatenus possessor conquatur, illud que deducat, ita ut ob explicitam, vel implicitam ratificationem, quae sperari valeat, actus ita implicitum habeat statum validitatis, sive suff. agari valeat cauella ponderata per Gratian. ubi supra, & alios, conferendi scilicet concessionem in tempore habile, cum clausula, ex tunc pro tunc, pro quanto jus possessoris omnino cessaverit, quo casu nihil sua interest.

Tertia demum est ratio supplantationis, seu præjudicii successoris, & haec pariter, cessante justa causa necessitatis, vel utilitatis Ecclesie, alii que requisitus ad validam alienationem, necessarius, est inevitabilis, sed pariter non est infectio intrinseca, importans nullitatem ipso jure, sed habet implicitum statum validitatis, quoniam, ut in præsenti, quatenus non ingeret altera ratio præjudicii possessoris, contingere potest casus vacationis durante prælatura, seu jure concedentis. Et sic actus habet implicitum statum validitatis, suamque observantiam & executionem me-

reretur, quatenus tempore habili contingat, quod nimirum refert, quia si actus esset ipso jure, & ab initio infectus, etiam ipsiusmet concedens impugnare posset, atq; secundus concessio natus esset præferendus, cuius contrarium dicendum est in casu validitatis, quoniam, sicuti in beneficiis, & similibus, receptam regulam habemus, quod gratia anterior, præfertur posteriori, ut colligit Gonz. ad reg. 7 §. 2. pro cm. num. 2. Buratt. dec. 421. n. 1. Rot. in Edebrunen. Prioratus 27. Inni 1653. Alberg. & sapius, ita investitura posterior posteriori prævaleat, ut, ceteris allegatis Gregor. decis. 109. num. 9. Rojas decis. 339. num. 12. Rot. d. cis. 175. num. 2. 3. 10. Et 11. in quibus concordantes, quod tamen procedit, dato æquali concursu, sive ubi dispositio l. quoties C. de rei vindicatione non intret, nam alias, si secundus prius obtineat possessionem, & non simus in casu limitato, hic præferendus est, ut plene colligit Cephal. consil. 263. num. 9. Et 10. Et admittitur apud Rojas dicta decis. 339. Et dicta decis. 175. num. 11. p. 10.

ALIA FVLGINATEN.

DOMVS

PRO

MUTIO OR FINO,

CVM

ANNA MARIA DE SILVESTRIS,
ET ELISEIS.

*Casus disputatus coram A.C. & resolutus
pro Anna Maria.*

De eadem materia, abusivæ investituræ in supplancementum successoris, Andicatur talis, ubi fiat ab initio pluribus personis ad eorum tertiam generationem, cum hoc, quod prius una, deinde altera generatio potiatur.

S U M M A R I U M.

- 1 *F*acti series.
- 2 *D*e invalida investitura abusiva Prælati inferioris.
- 3 *M*eliora sunt motiva facti quam juris.
- 4 *Q*uando propriè dicatur investitura abusiva.
- 5 *P*rohibitum non est facere eamdem concessionem pluribus personis in solidum ab initio.
- 6 *E*adem concessio potest fieri pluribus, ac omnibus habitu competere, sed exercitum vel commoditas uni tantum.
- 7 *P*lures personæ materiales possunt concurrere ad constituantam unam personam formalem.
- 8 *U*nus officium potest eoderum tempore concedi pluribus personis.

DISC.

DE EMPHYTEUSI DISC. II.

DISC. II.

Erenta eadem serie de qua *in precedenti*, super qualitate & natura bonorum emphyteuticorum Episcopatus Fulginei, de anno 1573. Episcopus, qui tunc temporis in propria patria era Thomas Orsinus, de consensu illorum de Baldolis, qui in Emphyteusum possidebant quandam domum cum sui juris cessione ex causa corrective facta, de ea investitivit Polisenam Orsinam, & Ascaniam Florentium ejus virum, nec non Justinianum & Mutium dicta Polisenae germanos fratres, ac Andream & Julium Cæsarem fratres dicti Ascanii, omnes ad tertiam generationem in forma consueta, ea conditione adjecta, quod durante generatione, vel dictæ Polisenæ vel dicti Ascanii, ex illo vel altero matrimonio, sive quod si ipsi dictam domum alteri venderent aut alias alienarent, tali calu concessio facta dictis respectivè Ascanii, & Polisenæ fratris evanesceret, solumque istis, ac eorum tertia generationi facta censeatur. Dissolutio autem dicto matrimonio per mortem Ascanii absque prole, Polisena ex secundo matrimonio suscepit Sillam in dicta domo succedentem, quæ procreavit Mariam Claricem monialem professam in Monasterio S. Anna dictæ Civitatis, à qua seu Monasterio, domus prædicta vendita fuit Anna Maria de consentia Episcopi novam investituram in forma consueta concedens, ac declarans in validam dictam concessionem respectu præfatorum Justiniani & Mutii, ut potè abusivam, ac factam in fraudem & supplantationem successorum. A qua declaratione interposita appellatione per Mutium dicti alterius Mutii senioris ex filio nepotem. Et introducta per appellationem calu coram A. C. hic post aliquas disputationes, sententiam absolucionis eidem Anna Maria concessit, motus ex eodem fundamento, quod ista esset investitura abusiva, proinde que invalida, ut potè facta in supplantationem successoris, procedendo simpliciter cum decisione tunc ad menses edita in alia Fulginate, dominus coram Corro de qua dico precedentibus, ubi defectus potestatis faciendo hujusmodi investiture abusivas in Praelato inferiori ex dicta ratione præluppontur certa iuxta decisiones in Foro sempronien. seu Eugubina coram Coccino dec. 39. par. 8. & 35; 7. par. 11. rec.

Mithi licet pro Muiio actore scribenti, justa & probabilis visa est dicta sententia, ex alio solido motivo facti, quod felicit in casu quo ex Polisena, vel Ascanio generatio superesset, sive quod illi alienare vellent, investitura continet conditionem resolutivam respectu aliorum, cum expressa declaratione, quod dictis Ascanio, & Polisenæ tantum, ac ad eorum tertiam generationem concessio facta censeretur; Ideoque aliorum utriusque conjugis respectivè fratrius vocatio, etiam cum jure accrescendi erat, quatenus dicti conjuges prolein non haberent, vel non alienarent, unde propter eam cum difficultas de plano tolleretur ex facto, mirabat tam de defensoribus quam de judge, quod in puncto juris adeo altæ inspectionis immorarentur, cum in decisionibus ac defensionibus causarum, semper longè meliora sint, quandò haberi possunt, motiva facti, in quorum subsidium, ad illa juris, semper dubia, & pro ingeniorum varietate in certa, recurrendum est, unde per ora peritorum forensium volitare solet dicerium, majoris ponderis ac valoris esse unam unciam facti, quam centum libras juris.

Circumscripta verò dicta facti circumstantia, præfatum alterum motivum non placebat, atque in dis-

putationibus desuper habitis, in quibus super dicto puncto juris tantum assumptus fui, dicebam mihi vi-deri procedi cum æquivoco, unde propter eam ut s' p' contingit, placuit resolutio, sed non placuit ratio re-solutionis. Dicebam etenim, preventivam seu abusi-vam investituram, verè & propriè dicillam, quæ ad-instat expectativæ conceitæ de beneficio pleno, datur in sola spe futuræ successionis rei feudalis, vel emphy-teuticæ devolvenda, post vitam vel defectam genera-tionem possessoris, & nihilominus etiam tali casu id fieri posse non defunt Doctores ita firmantes, præter-⁴ tim Gratian. discept. 818. cum aliis, de quibus in pra-cedenti.

Verum non erat iste calus controversia, quoniam concessio facta non erat pluribus ordine successivo, & per quadam speciem substitutionis, ita ut una ge-neratione deficiente, subintraret altera, quarum quælibet, tanquam ex nova investitura initianda de tem-pore quo effectum fortuit, haberet suum tractum successivum trium graduum, quo casu, verè & prop-riè esset, nequid supplantare successores, sed etiam al-terare consuetam formulam investiturae, extendendo concessionem ad sex vel novem & ultra generationes &c. Secus autem ubi ab initio pluribus personis fieret concessio ad eorum respectivè tertiam genera-tionem, quoniam non est multiplicare generationes, dum ista eodem tempore in omnibus æqualiter ex tunc initiandæ, non sunt nisi tres, ita ut non ex-cedatur consuetum tempus, seu solitus generationum numerus, solumque dicitur concessio, quæ non uni-tantum, sed pluribus personis ab initio fiat, quod de-jure prohibitum non est, ac passim docet communis praxis.

Ut præterm de concessione ab initio pluribus fa-⁵cta, unde propter eam cadere solet quæstio juris accre-lendi vel non decrescendi, una ex pluribus personis, vell lineis deficiente, constat ex deductis per Bellon. jan. de jure accresc. cap. 6. quæst. 38. Cavalier. decis. 219. Buratt. & Adden. decis. 50. in Ravennate. emphyteusis 9. Decembri 1658. coram Albergato, de qua habetur a-dum hoc codemini. decis. 20. & in alibi; Ubi etenim non alteratur numerus generationum, ita ut in singu-lis detur quidam ordo successivus generationum, discretivè ex tempore effectuata concessio ini-ciandarum, quo calu res longissimum temporis traictum habere posset, sed in omnibus patimenter i-dem generationum numerus, ex tunc computandus adjicetur, tunc non dicitur deri aliqua alteratio, quamvis circa fruitionem rei concessa præscribere-tur quidam ordo successivus, seu per & per posterius, quoniam non implicat idem jus habitualiter, seu intellexualiter individuum, æqualiter, ac in solidum pluribus competere, ejus tamen exercitum & communitatem residere penes aliquas personas tantum, ex iis, quæ in terminis juris patronatus, vel feudi dignitatis de sui natura dividui cum similibus habentur apud Bellon. jan. de jure accresc. dicto cap. 6. quæst. 37. 48. & 50. & habetur latius deductum in 6 Mutinen. fendorum de Rangonis sub titulo de fendio. disc. 8.

Omnis enim constituere dicuntur unam perso-nam formalem seu intellectualem, aut collegiativam, repre-sentam à pluribus personis materialibus, & suc-cessivè unam generationem tres gradus non exce-dentem, eodem modo, quo non implicat duos vel tres ac plures Ecclesiæ materiales, æqualiter con-currere ad efformandam unam Ecclesiæ Cathedra-lem, quæ pernecesse unica & individua esse debet ex deduc-tis in Syponina Cathedralitatibus, & in Cæsar-angustiana Cathedralitatibus sub titulo de præminentia cum

DE EMPHYTEVSI DISC. III.

13

cum similibus; Quemadmodum & converso rece-
ptissimum, ac frequens habemus, quod una per-
sona materialis diversis respectibus representare
potest plures personas formales diversas, unde sit
debitor, & creditor, mandans & mandatarius &c.

Et de officiis, quae de sui natura sunt magis indi-
vidua, & non nisi saltem in exercitio penes unam
personam residere debent, ut possit unum officium
pluribus concedi, habetur apud Revertor. dec. 168.
ubi de Marin. in Add. Bellon. jun. ubi supra q. 50.
& s. cum aliis in Romana officiorum de Maximis
sub tit. de Regalibus disc. 3.

Clarius verò in hac facti specie, ex dupli circumstantia. Una quod supponebatur, ac de facto
plures justifications dabantur, id est: consuetum,
quod scilicet investituræ ab initio & contemporaneæ fiant pluribus personis, in solidum, & cum
jure accrescendi, ad tertiam respectivè generacionem; Et altera, quod stante consuetudine vel trans-
factione, de qua in precedenti, ut Ecclesia non pos-
sit pro se retinere, neque alteri pro libito concede-
re, sed perneccesse renovare. Hinc prout ista bona
quamdam speciem seu naturam allodialium af-
sumisse videntur, atque satis modicum est Ec-
clesia præjudicium, quod bona in una vel altera
personas resident, dum non potest retinere pro se
ipsa, sed ad instar allodialium sunt in commercio, &
contractione, solumque considerablem videtur
interesse laudemii occasione renovationum solven-
di, in quo consistere dicitur successoris supplanta-
tio, unde propter ea in dicta alia Fulgimaten. disc.
precedens, impugnando Ego in Prelato inferiori
potestatem faciendo hujusmodi abusivas seu præ-
ventivas investituræ, potissimum ac principale
fundamentum constituebam in præjudicio prioris
emphyteutæ possessoris, & sic reverta istud non vi-
debutur motivum considerablem.

FOR OLIVIEN. EMPHYTEVSIS

PRO

THERESIA ET SORORIBUS
DE MERLINIS,

CVM

OLIMPIA DE FONTANIS.



Casus decisus per Rotam pro Olimpia.

In concursu matris & amitæ ultimi emphy-
teutæ, cui istatum potius debita sit reno-
vatio emphyteusis ex pacto & providen-
tia.

An' jus petendi renovationem sit heredita-
rium vel sanguinis & proximitatis. Et quo-
modò ista regulanda sit.

S U M M A R I U M

- 1 Atti series.
- 2 *F*lus petendi renovationem competens conjunc-
tus vel heredibus ultimi emphyteuta, non
competit ex dispositione juris, que potius
reficit.
- 3 Dérivatur à traditionibus glos. & Bart. quae recen-
sentur.
- 4 Recensentur aliquæ autoritates percutientes dicta
renovationis necessitatem in questione cum do-
mino denegante.
- 5 Andicta aequatoria necessitas procedat in Eccle-
sia, affirmative.
- 6 Quibus personis competit hoc jus petendi renova-
tionem, an etiam collateralibus & aliis conjun-
ctis.
- 7 De anterioritatibus Romani. & sequacium, ut in
concurso matris & amita mater si potior.
- 8 An & quando deferendum sit doctrinis punctua-
libus vel rationibus.
- 9 An' jus petendi renovationem sit hereditarium.
- 10 Datur distinctio inter emphyteusum hereditarium
& pactionatum.
- 11 Posto quod in pactionata attendatur qualitas san-
guinis & non hereditatis, quomodo id intelli-
gendum sit.
- 12 Convincitur de errore Roman. conf. 22.
- 13 In feudi mater & ascendentibus r. putantur extra-
nei.
- 14 Declarantur auctoritates tenentes partes matris,
cum quo presupposito loquantur.
- 15 Derationibus, quibus innixa est aequitas necessaria
renovationis, & quibus illa conveniat.
- 16 Renovatio dicitur sicut continuatio investitura, id
eoque non importat emphyteusum novum, sed
antiquum.
- 17 Insperendi renovationem regulandum est ab ordi-
ne successoris, & quomodo id procedat.
- 18 De differentiis in proposito inter feudum & em-
phyteusum.
- 19 In quibus terminis procedant controversia proxi-
mitatis.
- 20 De circumstantiis particularibus, ob quas amita
potius renovanda est.
- 21 Quid accedente voluntate primi acquirentis.
- 22 Vclibi ultimus est pupillus, cui facta est substi-
tutio.
- 23 Major aequitas prevaleat minori.
- 24 De causa converso, in quo in emphyteusi her-
editaria pro maire contra amitam responde-
tur.



Card. de Luca de Emphyteusi Part II.

B

DISC.